



1. Buddenb. Joh. franc. Epistola ad nuncientium quorundam. Ministram Ecclesie in Silesia vindicandam spectans.
1723.
2. Bücker f. Christ. frid. theres. orthodoxe
1702.
3. Chladenij f. Mart. diff. Sistemi de maxiam ex consilio Gamalielij coven. tam, Wittm. 1718.

HISTORIAM
THEOLOGIAE POLEMICAE
CHRISTI ET APOSTOLORUM
CRITICAM,

Prolusionis gymnaſtice loco,
DISPUTATIONIBUS THEOLOGICIS
a quibusdam Athenæi nostri Auditoribus
publicis,

optimæ spei probæque in dolis adolescentibus,
singulis Saturni diebus,

finitis lectionibus ordinariis,

hora a decima ad undecimam,
ad B. KÖNIGII Theologiam positivam
habendis præmittit,

&

Superioribus suis,
ac Athenæi Carolini civibus,
Collegii hujus Disputatorii
rationem explicat,

JOH. HENR. FOPPIUS,
Regii Athenæi Scholæque cathedralis SubR.

B R E M Æ,
Typis HERMANNI BRAUERI, Jun. Reipubl.
Typogr. c 19 IccXIV.



פִּילָא

Varia conquisiverunt orthodoxiae evangelicæ hostes, quibus theologiae porismaticæ vel systematicæ partem istam, quæ polemica dicitur, enervari posse fibi persuadent. Jam enim ipsam vocem carpunt, &c., quæ illa denotetur, scientiam theologicam ad ejusmodi nos- assuefacere bella credunt, quæ a spiritu μακροθυμίας καὶ πρεσβύτερος conceptis verbis in ecclesiæ ministro sint damnata: (a) Jam scholasticorum ineptas sophistificationum quisquilias in ista recoqui contendunt, quibus ex sanctissima servatoriſ nostri & persona & officiis metaphysicus tantum atque comicus lufus fiat, Christianaque extirpetur simplicitas: (b) Jam inutilium tædio-

(a) Obtorto quasi collo hoc trahunt effatum Pauli , 2. Tim. II, 24. Δέλον τὸ καρπόν & δέη μάχεσθαι: Ubi tamen omnia pugnartum genera ecclæsiæ ministro non interdicuntur, sed tantū, ut ex antecedentibus patet, οἱ μαρτιαὶ καὶ ἀπαίδευτοι ζητοῦσι. Ista vero bella, quæ absque livore & invidia pro divina veritate suscipiuntur, in quibus gerendis ἡπιοι, διδακτικοὶ τε καὶ σινεχίακοι manemus, saltum manere possimus, licita, ināo necessaria, sunt. Recte Beza ad h. l. Vitandam docet Paulus in primis omnem animi acerbitatem, tum in docendis omnibus, tum etiam in revocandis, qui extra viam aberrarunt.

(b) Id gentium doctorem innuerunt putant, ubi orationes suas, atq; sermones ἐν ἑταῖροις ἀνθεωτίνοις σοφιαὶ λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀπαίδευτοι πνεύματος καὶ δυνάμεως se habuisse testatur 1. Cor. II, 4. Quamobrem etiam philosophi istius exemplum, qui in concilio Nicæno insolentem quandam artis sophisticæ magistrum simplici veritatis confessione debellavit, ex Sozomeno, Hist. Ecl. lib. I.c. XVIII, citant. Plane ac si verbi simplicitas & spiritualis potentia demonstratio cum sobrio theologiae polemica studio confistere nequeat, quam omnes tamen cordati, si recte se habere omnia debent, requirunt quam maxime. Quæ porro de scholasticarum ineptiarum restauratione criminantur, nullo prorsus nituntur fundamento, nec quicquam momenti habent. Nam ut omnia, quæ tradiderunt scholastici

docto-

tædiosarumque logomachiarum matrem illam esse fœcundissimam profitentur: (c) Jam consuetudini tam Christi, quam ejus Apostolorum e diametro eandem adversari contendunt: Et quæ sunt cetera, quibus manifestum dederunt argumentum, quod rei saluberrimæ abusum ab usu genuino distinguere non didicerint. Cujus iniquitatis mysterium detegere facillimum quidem esset, si nobis concederetur otium, & nisi jam istud detexissent alii. An vero ex hoc argumento, quod ab exemplo Christi ejusque Apostolorum desumere solent, caussæ ipsorum aliquid accedit præsidii, paucis dispicere lubet.

Equidem felicissimo hoc, quo orbis universi servator cum suis vixit discipulis, ævo systematicam doctrinæ cœlestis capita proponendi methodum, qua nos jam utimur, & quam in disputationibus nostris theologicis etiam retinere solemus, jam viguisse persuaderi mihi haud patior. (d) Non

A 2 minus

doctores, non fuerunt bona, ita, si omnia fuissent mala affirmaveris, gravissime peccares. Rescindantur itaq; mala & retineantur bona. Quod si etiam circa methodum systematicam, usumq; principiorum philosophia in controversiis tractandis rite observatum fuerit, in sanctissimam quoque servatoris nostri personam injurii haud erimus. Non respuit hic accuratam παιδείαν, qui ordinis Deus est.

(c) Ex accidenti id haud raro fieri, fatemur & ingemiscimus. At, inde theologiae polemica studio, sobrie & solide instituto, damnum aliquod cooriri, pernegasimus, nec ἀντίστασοι καὶ φρεναπάλαι isti in alterum id probabunt.

(d) Quicquid etiam in contrarium proferat Joh. Henr. Hottingerus, Bibliothecar. *Quadrupl. lib. III. cap. II. pag. 371.* ubi ita ait: *Sive integras expendamus tum reliquorum Apostolorum, tum cum primis Pauli, epistolas, sive narrationem certorum religionis capitum, dubitare non possumus, compendia, catechetica, hypotyposes, adeoque methodum systematicam ne infantie quidem Christiana ecclesiæ fuissent ignotam, mutuatam quippe & transsumtam ex synagoga Iudaica, quæ & legis, & preceptorum ejus, habebat summas, compendia, explicaciones.* Omnia, quæ hic asserit Hottingerus, infirmo nituntur fun-

minus enim Apostoli quam horum magister Christus, eam
reti-

fundamento. Nam quod primo synagogas attinet Judaicas, ex quibus ordinem docendi systematicum in Christianorum transiisse ecclesiias affirmat, oppido fallitur, dum Judæi potius a Christianis, quam hi ab illis, istum acceperunt. Pro primo scilicet Judæorum, nisi me omnia fallunt, theologiae systemate reputandi sunt XIII. iti Articulū, Symbolo Apostolico oppositi, ut auctor est Buxtorfius, *Synagog. Jud. cap. I.* proprie *Radices*, sive *כִּירְבָּנָה*, dicti. At hos, ut ipse Hottingerus concedit, *Theſ. Philol. lib. I. cap. II. ſect. I. p. 79.* primus in ordinem systematicum redegit R. Maimonides, qui circa initium ſeculi XIII. floruit. Conf. Joh. Bened. Carpzovii *Disert. de articulis fidei Jud.* quæ XII. est inter *Difertationes* ejus *Theologicas* junctim editas. Dum vero in exemplum hujus rei adducit epiftolas Paulinas, cauſam ſuam manifeſte prodit. Nam ſi epiftolarum quamlibet pro systemate theologico habet, errat quam gravifime, propterea quod iſtarum nulla ex iſtituto cuncta doctrinæ Christianæ capita perſequitur, ſed, quæ ad principem haud faciunt ſcopum, vel plane ibi omittuntur, vel tantum in tranſenna velut delibantur. At ordo systematicus hoc omnino poſtulat, ut nullus fidei articulus remaneat, qui non ex iſtituto & data opera traçetur. Quod ſi vero, omnes epiftolas ſimul ſumtas hoc nomine notandas eſſe existimat, rurſus haud recte ſentit. Licet enim hac ratione id obtineat, ut iſpi concedatur, omnium coeleſtis doctrinæ capitum mentionem fi ri, ſystematice tamen & nexus ſystematico hæc explicari, nondum evicit. At rectius ſibi forſan conſulunt, qui ad Symbolum Apostolicum provocant? Quod *Tit. I. 3.* per τὴν κοινὴν πίστιν intelligi quidam, teſte Gottfr. Oleario, *Amot. Bibl. p. 403.* non absque inſigni errore ſtatuunt, quod etiam, ſi per Romanenses ſtaret, omnino & doctrinæ ſyſtema, & ab Apoſtolis confeſtum ſyſtema, eſſet ha- bendum. Sed ut prius, quod affirmant Pontificii, eo facile concidit, quoniam neque hoc omnia, eti pleraque, fidei capita continent, ita posterius nullo prorsus, quod veri ſpeciem habet, evinci potest argumen- to. Silet enim hac de re Lucas, qui rem tanti momenti in Actis temere haud prætermiſlurus fuiffet. Silent Justinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Eusebius, Hilarius, Cyriſlus Hierosolymitanus, praeftantissimi per quatuor a Christo nato ſecula ſcriptores, aliorum, quæ in ecclesiis orientalibus recepta ſunt,

sym-

retinuerunt docendi rationem, quæ tum temporis usitata
A 3 maxi-

Symbolorum accuratam, Apostolici vero nullam, facientes mentionem. Unde alii etiam e Romanensibus non Apostolis, sed viris Apostolicis, istud adjudicant, & inter traditiones non scriptas connumebant, id quod facit Natalis Alex. *Hist. Eccl. N. T. Sec. I. Dis. XI. p. 142.* edit. Parisi, clo 10 c XCIX, f. ubi ita ait. *Symbolum non scripto consignatum ab Apostolis est, sed fideliū memoria commendatum.* Quarenti autem, quando enatum sit Symbolum, de quo nobis sermo est, Apostolicum? respondeo cum Basnagio Flottemanvilleo, enatum illud esse ex solemnī formula baptismali, ita ut, orientibus subinde novis hærefibus, novæ etiam semper accessiones factæ sint, donec tandem successu temporis istud conficeretur Symbolum, quod nos a sensu, non a forma aut ab origine, Apostolicum dicimus. Conf. qui ex instituto hac de re disputant, Gerh. Joh. Vossius in *Exercitationibus III. de tribus Symbolis*, *Apostolico, Athanasiano & Cplitano*, quæ extant Opp. T. I., Jac. Usserius in *Diatribē de Rom. ecclesiæ aliisque fidei Symbolis*, B. Ittigius in *Dissert. de Pseudepigraph. Christi, Marie & Apostolorum*, cap. VIII., Wilh. Ern. Tenzelius in *Exercitat. de Symb. Apost. & in primis Lud. El. Du Pin dans la Nouvelle Bibliothèque des Autheurs Ecclesiastiques*, T. I. p. 9. seqq., aliquæ complures. Satis itaque pro instituto nostro evictum esse puto, nec Christum, nec Apostolos, systema theologicum conscripsisse. Neque mihi hoc in negotio item futuram existimo cum illis, qui vel *ex solis Christi verbis* theologiam methodo systematica tractant, quod haud ita pridem fecit celeberrimus Giessensis Theologus, Joh. Henr. Majus, vel Paulum diaλεγένεον in scenam producunt, quod anno clo 10 c IIIC. præstiterunt Jo. Mich. Heineccius & ejus respondens, Jo. Henr. Wederkampius. Non enim aliud horum suisse institutum arbitror, quam istorum, qui de *theologia paradisiaca & Adamica* commentantur, quo referendus est Joh. Owenus in *Theologum*, s. *de natura, ortu, progressu & studio verae theologie*, lib. I. & II. Locos communes theologie paradisiaca, s. integræ systematis delineationem exhibet Abrah. Calovius in *Isagog. ad theolog. p. 50. seqq.* Polycarpus Lyserus in *Adamo*, Wilh. Lyserus in *Trifolio verae religionis V.T.*, *Adamitica, Abrahamitica & Israelitica* *juxta unifolium religionis Lutheranæ*, Disp. I. §. 13. Qui quidem non fuerunt persuasi, in paradiso jam tractata suisse hujusmodi systemata theologia, aut tractari potuisse, sed ista tantum capita doctrinæ, quæ primis



maxime, & populi genio accommodata erat. (e) At philosophiae Aristotelicæ, ex qua procul omni dubio systematica capitum doctrinæ Christianæ dispositio æque ac pertractatio profluxit, Apostolorum ætate haud adeo magnum statuebat pretium. Inde vero concludere non licet, cum fatali deum Aristotelicæ philosophiae & theologiae mixtura exortam quoq; fuisse divinas veritates adversi, earundem impugnatores defendendi, corroborandi, horumq; fraudes convellendi, consuetudinem. Aliud enim est theologicas tueri veritates, & aliud

primis nostris parentibus ante lapsum cognita fuisse ex sacris litteris colligimus, ordinis causa methodo hodie recepta explicare voluerunt. Adeo ut necessarium haud fuerit, scriptores hujus generis tam acerba excipere censura, ut fecit Ill. Thomasius, *T. I. Obs. Hallens. Obs. XIX.* p. 277. *sqq.*

(e) Christus, voce populum erudiens, parabolicam docendi consuetudinem plerumque secutus est, quam ab antiquissimis temporibus usque ad Hieronymi ætatem in docendo usurpatam esse, ostendit Huetius, *De orig. fabb. Romanens.* p. 23. Et cum omnino necessarium esset, quis sit Christus, quidve fecerit, imperita plebi explicare, egregie hoc præstiterunt Evangelista. Nam & historica hæc docendi ratio tum temporis observabatur ut plurimum. At Apostoli per epistolas, quæ Christo nomen dederant, ecclesiæ de præcipuis doctrinæ evangelicæ articulis erudiebant, habito tamen semper ad istarum præsentem statum respectu. Epistolarum enim etiam in dogmaticis, frequentissimus tunc usus erat, quod vel unius Senecæ epistola abunde satis testantur, &, inter viros Apostolicos, epistola Barnabæ, quæ in questionibus & argumentis adversus Judæos pene tota versatur, & quæ ei communii veterum adjudicatur consensu. Vid. acutissimum Caveum, *Hist. litter. script. Ecc.* p. 12. *sqq.* edit. Genev. cl. 15 cc V. Comprobant idem epistola Clementis Romani, quas primus in lucem protraxit Patricius Junius, Britanniarum Regis Bibliothecarius, anno cl. 15 c XXXIII. Istarum enim prior, ad Corinthios occasione schismatis Corinthiaci, Romanae ecclesiæ nomine, scripta, doctrine Apostolorum ἀπαχθαλάσσιν jucundam instituit. Altera vero, cuius aliquod tantum fragmentum superstet, institutionem Christianæ vitæ continet. Vid. Cave l. c. p. 19.

aliud est ordine procedere systematico, aliud confundere ^{τές αὐτι}
^{λέγοντας}, & aliud inter confutandum terminos quosdam tech-
nicos, artem syllogisticam, aliaque beneficia philosophica,
quæ non minus ad majorem rei perspicuitatem faciunt,
quam ut adversarii proprio suo jugulentur gladio, vocare in
subsidiū. Sapientissimo quidem humani generis redem-
tori, nec non ab ejus spiritu eruditis Apostolis, neque sy-
stematicam theologiae polemicæ tractationem, neque termi-
norum philosophicorum, (f) aut artis syllogisticae usum,
tribuimus. Hinc vero, Christum omnino haud disputasse,
si concludere velles, rem ipsam ab iis, quæ rei accidentunt,
accurate satis haud distingueres. Sed ab ipsa quoque
hac disputandi ratione propterea utrosque, quod ea in se ipsa
mala sit, nec ab abusibus separari queat, abstinuisse, nisi argu-
mentis convictus fuerim solidioribus, audacter nego. Eam
namque, a virtutis, quibus vulgo contaminari solet, probe pur-
gatam, Christianæ simplicitati haud aduersari, nemo facile
inficiabitur, nisi qui, quid sit simplicitas Christiana, se o-
mnino ignorare, ultro profitetur (g). Reliquerunt autem
il' am partim, ne, dum philosophorum consuetudinem imi-
tarentur, imperitæ & circa externam modo rerum speciem
hærenti plebi suspicionem præberent, se philosophicam tan-
tum opinionem, a ceteris diversam, fovere, & peculiarem
moli-

(f) Neque nobis adversantur ex priscæ ecclesiæ Patribus isti, qui
ipsam religionem Christianam φιλοσοφίαν dicunt, eandemque tam
Christo quam Apostolis adjudicant, quorum loca diligenter collegit
Jonius, *De scriptorib. Hist. Philos. lib. III. c. IV.* Verbis etiam, non ipsa
re, a nobis dissentit Georg. Hornius, *Hist. Philos. lib. V. c. I. II. III.* ubi
philosophiae culturam, a Christo & Apostolis institutam, prolixè expli-
cat. Longe enim excellentioris sapientiae studium hac voce, quam
quod vulgari significatu denotatur, indicant.

(g) Prolixè solideque hæc omnia evicit B. Musæus in tractatu eru-
ditissimo de usu principiorum rationis & philosophie in theologia, & celeberr.
Joh. Conr. Schrammius in *Dis. de principiorum rationis in theologia valore,*



moliri sectam : partim quoniam ipsorum adversarii magis
criminando ac contradicendo , quam accurate moreque phi-
losophorum disputando , cœlestem veritatem impugnabant.
Adeoque etiam polemica istorum theologia maxime in de-
tegndis calumniatorum imposturis , afferenda doctrinæ,
quam tradebant , veritate , eximendis ex conscientiis imbe-
cillium scrupulis , & dentudanda vitiorum fœditate consiste-
bat. Quotiescumque tamen adversarii quædam protule-
runt in medium , quæ speciem habere vîsa sunt , ipse serva-
tor , Christus , hæc solide & graviter confutavit , id quod per
singula Christianæ fidei capita facili negotio evinci posset ; si
in dubium hoc quenquam vocaturum mihi persuaderem.
(b) Et quis , nisi plane hospes sit in Evangelistarum scri-
ptis , nescit , quam frequenter Christus cum Phariseis , Sad-
ducæis , ceterisque Judæorum doctoribus de rebus , quæ ad
principem collineabant scopum , instituerit *euγνωμονίας* , hoc est ,
disputationes ? In quibus sane se ita semper gessit , ut strenue
magni-

(b) Nullum enim fere cœlestis doctrinæ caput a frigidis suis com-
mentis corruptionibusque immune reliquerant post captivitatem Ba-
bylonicam in varias sectas scissi Judæorum doctores , quas enumerat
venerandus Præceptor meus , Buddeus , *Introd. ad Hist. Philos. Ebr.* §. XIX.
XX. XXI. & XXII. Pristinum vero divinæ sapientiae nitorem solide
rurus vindicavit Christus , ut alibi passim , ita & in primis *Mattib. V.*
Adeo ut inde *lux veritatis , veritas & sapientia* , merito audiat. Vid.
Jes. L. 4. 10. LXI. 1. Prov. VIII. 12. seqq. Matth. XI. 19. Luc. II. 46. seq. XI. 49.
Job. III. 12. 1. Cor. I. 23. 24. 30. Col. II. 4. conf. Huetium, Demonib. Evang.
Prop. IX. cap. XXXV. p. 821. edit. Lips. clo lo c XCIV. Nec aliter , quam
rei veritate convictus , eum *τοφερ ἀνθρακα* vocavit Flavius Josephus , *An-
tiq. Judæie* , lib. XVIII. c. IV. p. 552. edit. Froben , clo lo c XLIV. Quid in-
figne testimonium frustra criticorum censuris vexatur. Vid. omnino
Bosii *Exereit. Historico - crit. in periach. Josephi de J. C.* , & in compendio Ca-
ve *H. L. S. E.* p. 22. seqq. Addantur Natal. Alexand. *H. E. V. T. T. II.*
*Dis. X. p. 411. , Vossius De LXX. Interpp. p. 161. Seb. Lepuseulus in Epि-
tola ad Ertzbergium , quæ existat in Epि. Philologic. centuria , p. 247. seqq.*
edit. Lipsiens. clo lo c LXXIV.

magnoque zelo non vitam modo sceleratam , sed errores etiam falsamque adversariorum doctrinam redarguerit , os iis obturaverit , ad silentium illos redegerit , eorundemque malitiam notaverit gravissime. Neque tamen hæc omnia obſtiterunt , quo minus se mansuetum cordeque humilem dicere , & dignas ad patrem suum , etiam pro iis , cum quibus toties ſibi decertandum fuerat , in cruce preces fundere posset. Perfectissimum itaque nobis in tractanda theologia polemica exemplar reliquit Christus , convincendo ſolide veritatis hostes , & observando accurate mansuetudinis limites. Quod nobis eo pluris faciendum , quoniam ingenuæ vereque theologicæ prudentiæ in omnibus ejus conflitibus vestigia ſatis manifesta deprehendimus.

Exemplum Magistri ſui strenue ſecuti ſunt Apostoli , non minori zelo a veritate aberrantium impietatem , quam ſcelerata flagitiosorum hominum vitia , reprehendentes atque confutantes. Unde etiam factum eſt , ut tantum non in omnibus istorum epiftolis polemica moralibus , paræneticis dogmaticisque paſſim ſint immixta. Cum variis autem divinæ veritatis hostibus conflictandum fuit Apostolis , quibus omnibus exemplum Simon prævit iſte Magus , Gitthis , Samariæ vico , oriundus , qui magicis ſuis artibus præſtigiis que magnam ſibi apud imperitam plebem auctoritatem conciliaverat (i). Philippo is quidem Diacono Samari- tanis evangeliū annuntiante , cum miraculis ejus de veritate religionis Christianæ convictus eſſet , ſacro ſela-

B

va-

(i) Quam tantam fuifse credunt , ut ei a Claudio , Romanorum imperatore , ſtatua- fit pofta , cum hac epigrapha : *Simoni Sanco Deo*. Ita narrant Irenaeus , Tertullia- nus , Eusebius , & ex recentioribus Halloxius in notis ad *Justin. Mart. vitam* , p. 382. Sed obſervarunt erudiți , non Simoni , ſed *Simoni Sanco Deo Fidio* , Sabinorum numini , dicatam fuifſe iſtan ſtatuan. Vid. Vofſius *De orig. & progr. idol. I. I. c. XII.* Petavius ad *Hæref. Epiph. XXI. p. 41.* Valesius in notis ad *Euseb. I. II. c. XIII.* p. 32. , Spanhemius in *Quatern. Differt.* , *Diff. I. de temere credita Petri in urbem Ro- man profectione p. 14.* , Georg. Wonna in *Exercit. de cultu Simonis Magi ap. Roma- nos , contra Baronium , Sagittarius Introd.* in *H. E. p. 1162.* , & fere omnes ; qui de hoc problemate historico egorunt : *An Petrus Romanum venerit?*

vacro tingi passus est: At gratiam conferendi spiritum venalem arbitratus, ob eamque caussam a Petro Apostolo merito increpatus quam acerrime, ad vomitum rediit, & a Christianis fecessione facta, magnas pestilentissima doctrinam sua turbas moyit. Atque hunc esse hominem istum anonymous, quem Paulus mendacibus praestigiis multos seducturū sed revelandum tamen spirituq; oris Christi interficiendum esse, dicit (k), omnesque epistolas, quae catholicæ dicuntur, aduersus Simonis imposturas scriptas esse, sunt qui affirmant (l). Utrumque vero, si a conjecturis discedas, qua ratione solida aut argumento probari queat, ego quidem haud video. Quis enim

(k) Sc. 2. Thesf. II, 8. seqq. Et ita putat H. Grotius ad b. I., cuius sententiam Petrus Molinaeus & Sam. Maresius teatis nominibus sub examen vocarunt. Grotium more suo sequitur Henr. Hammondus, &c, longius, quam ipse Grotius, progressus, universum fere textum de Simone explicat. Sed, ut istum B. Calovius, ita hunc castigavit Joh. Clericus, qui tamen in alium, nihil meliorem, prolapsum est errorem. Prolixe haec omnia & fusa persequitur B. Ittingius, *De Hesychiarib. S. & I. cap. II. §. 9.* Hammonds quidem tam preesse Grotii vestigia premit, ut hoc etiam loco Gnosticos suos inveniat, quos tantum non ubique nobis obtundere voluit. Evolve, quae commentatur ad Matth. XXIV, 24. Rom. I, 29. XIII, 13. XVI, 17. 18. I. Cor. V, 10. II. VI, 3. 20. VIII, 1. 2. Cor. XII, 20. Gal. V, 19. VI, 12. 13. Epb. IV, 19. V, 3. Philip. III, 18. 19. I. Thesf. IV, 6. 2. Thesf. II, 3. seqq. 2. Tim. III, 1. seqq. 1. Petr. IV, 3. 7. 17. 2. Petr. II, 1. sqq. 1. Job. II, 9. 18. seqq. IV, 1. sqq. Ebr. X, 25. XII, 15. Jac. V, 7. Jud. v. 8. 18. Apoc. II, 24. XXI, 8. Pertinet huc igitur, quae inter eruditos satius agitata est, controversia de Gnosticorum origine, de qua eleganter differit B. Thomasius, *Orig. Hist. Phil. & Eccl. §. XXX. XXXI. XXXII. p. 32. seqq.*, & venerandus Buddeus in *Diss. περὶ τῆς γνῶσεως Φειδανίμης*, p. 10. sqq. Res paucis eoredit: Fuerunt omnia in Apostolorum tempore haeretici, qui γνῶσιν creparunt, sive id fecerint Simoniani, sive alii: Gnosticorum vero nomen jam extitisse hac ætate, nondum est evictum.

(l) Benedictus Justinianus, Italus, in epistolas catholicas commentatus, hanc maxime tuetur sententiam. Hinc ubi Jacobus, c. I. v. 13., affirmat, *nominem a Deo tentari ad malum*, id Simonis doctrinæ, qua Deum mali auctorem fecerit, oppositum putat. Et v. 17. alterum Simonis errorem de duplice rerum principio notatum arbitratur. In quibus assertis cum nihil, nisi quod conjecturis nititur, in medium proferri potest, alii Phariseorum de fato & astrorum influxu commenta II. cc. revelli, contendunt. Sed hi quoque, ubi pedem figant, non inveniunt. Unde tandem istud sequitur, fuisse homines, qui hujusmodi erroribus indulserint, & contra eos Jacobum disputasse, nobisque polemice theologiae specimen reliquissimum. At speciatim ob incertitudinem, quæ ab utraque parte deprehenditur, certos quosdam haereticos designari non posse arbitror.

enim nescit, Simonis impietatem jam dudum, antequam Christianam fidem amplexus esset Paulus, fuisse revelatam? Sic cuncta etiam, quæ disputat Jacobus, Simoni, & quidem soli, opposita esse, post omnes lites incertum manet valdeque dubium. Nec omnino hac operosa nobis investigatio ne opus esse puto. Sufficit, quod tam Paulum quam Jacobum Apostolos in scriptis suis contra haereticos ætatis suæ passim in arenam descendere, suoque ita exemplo polemicæ theologiae studium comprobare, pateat. Quamobrem neque Petrum, cuius hypocrisim & apostasiam tam vehementer reprehenderat, ad impia Simonis mendacia deinceps tacuisse, mihi facile persuadeo, etsi, ista omnia, quæ de illius cum hoc hominis propudio concertatione, Romæ habita, vulgo narrari solent, pro indubitate veritate mihi obtrudi, nequam patiar (m).

Sed ut omnia Simonis dogmata ita erant comparata, ut nimis aperte ad quævis flagitorum scelerumque genera vim sternerent, ita ab ipsis sibi eo facilius cavere poterant, qui cyclopicæ vivendi consuetudini nuntio missò, rectius sibi consulere constituerant. Ast longe majorem Christianorum rebus cladem intulit id hominum genus, qui, externam sanctitatis speciem mentiti, ex sola legis impletione nos

(m) Neque me, ut hæc crederem, inducere unquam potuerunt testimonia, quæ ex Arnobio, Ambroso, Theodorito, Philastro, Cyrillo Hierosolimitano, Augustino, Nicephoro, Sulpitio Severo, aliquis afferri solent, & cum quibus tantopere se effert Bellaminus, *De Rom. Pontif. I. c. XXIII.* Reste enim, cum horum omnium verba lustrasset, addit B. Kortholtus: *Non desunt, qui suspectam eam (naravisse) habent, ino falsitatis palam infinitam, viri doctissimi: Tam quod vero simile non sit rem adeo memorabilem silentio preterituros fuisse scriptores Romanos: Tunc quod de illa silentem Justinus, Irenaeus, Eusebius: Tam quod, qui historiam hanc referunt, in tradendis circumstantiis tantopere discrepant. De Persecut. c. I. §. XVI. I. p. 33.* Ex quibus a Kortholto adductis rationibus facile videmus, quod, stante etiama hypothesi, qua Petrus Romanum venisse dicitur, de ejus cum Simone congresu incerta omnia sint & dubia. Conf. Valef. ad Euseb. I. II. c. XIII. p. 32. 33. Ceterum de Simone Mago conf. B. Thomasius I. c. Joh. Henr. Horbius in *Inquisitione De ultima origine heret. Simonis Magi*, Lips. clo lo c LXIX., Mich. Siricius, *de Simone Mago*. Gieffæ clo lo c LXIV. Christian. Schotanus in *Disput. de Simone Mago & heresi Simonianorum*, Franekeræ clo lo c LXII., & Sam. Andrea, *de Simone Mago*, Marpurgi clo lo c LXXX.

justitiam coram tribunal divino consequi , docuerunt , ri-
tuumque Mosaicorum observationem , jugum istud gravissimum , Christianorum imposuerunt humeris . Quæ cum
esset abominandi pharisaismi , fontis hypocriseos pestilentiæ veramque prorsus sanctitatem suffocantis , incrustatio , non poterant Apostoli , quin magno fervore se horum *κενοφανίαις* opponerent . Et hi quidem Pseudoapostolorum nomine subinde ab Apostolo Paulo insigniuntur , acriterque reprehenduntur . Fuisse vero Pseudoapostolos , qui , a Judæis ad Christianorum transgressi cœtum , circumcisionem legesque ceteras , a Mose præceptas , eodem necessitatibus nexus cum fide , quam urgebant Apostoli , jungendas esse contenderunt , recepta est Scripturæ interpretum sententia (n) . Iisdemque inde , quod ad palliandos errores suos Apostolorum , Petri nimirum atque Jacobi , auctoritate , spreto contemtoque Paulo , fidei præcone sollertissimo , abutebantur , nomen istud enatum esse patet . Adeoque porro , triplicem Pseudoapostolorum characterem constitui posse , haud difficulter colligimus : primum , quod fuerint Ebræi , alterum , quod capitalis illorum fuerit error in doctrina de necessitate impletionis legum Mosaicarum , & ultimum , quod fuerint hypocritæ , commodique tantum sui gratia Christo nomen dederint . Hæc autem omnia in Nazaræos optime quadrare , nemo non intelligit (o) . Quorum personata etiam mendacia primo omnium concilio , Hierosolymis habito , occasionem forte dederunt (p) .

Con-

(n) Vid. Hier. Kromayerus in *Comm. in Ep. ad Galat. I, 6, II, 17.* Addantur loca Scripturæ 2. Cor. XI, P̄b̄l. III, 18.

(o) Sane de plurimis hæreticorum talia traduntur , qua ad pleraque Pseudoapostolorum vitia proxime accidunt . Adeoque & hic magnam inter eruditos esse sententiarum diversitatem non miror . Quas omnes tamen has ratione conciliari posse arbitror , si secundum datos characteres hæretici examinantur . Nostram confirmant sententiam Epiphanius , Augustinus , Hieronymus , aliisque . Conf. Witii *Miscell. sacr. T. II. Exercit. XX. sq.*

(p) Cujus decretum & epistola synodica exstat AB. XV. Quæ vero circa hoc concilium notanda essent , dum proxime nostrum non attingunt scopum , jam præterimus .

Conjunctis viribus Evangelio eadem ætate se opposuerunt Cerinthus atque Ebion (q), quorum errores refutasse Evangelistam Johannem, recepta a plerisque & magna cum veri similitudine conjuncta est sententia (r). Iste autem, qui, hos alibi etiam in sacris notari pandectis, afferunt, & loca in scriptis Apostolorum, Cerinthi errores damnantia, conquerunt, dum meritis iterum nituntur conjecturis, in præsentia a nobis merito prætereuntur. (s) Id tamen observas-

B 3

se

(q) His peculiarem assignare locum malui, quam Pseudoapostolis jungere, licet mihi quam rectissime constet, esse inter eruditos haud paucos, qui, sub Pseudoapostolorum nomine ipsos hos ab Apostolis Cerinthianos esse confutatos, arbitrantur. Quorum argumenta adducere supervacaneum omnino fore, cum prolixe ista jam examinavit B. Itigius l.c. c.V. sest. I., ubi etiam de Cerinthi balneo agitur. Illud enim ingressus Johannes, cum audivisset, Cerinthum ibidem esse, evaglio pedem removisse dicitur his verbis: *Fugiamus, ne balneum corruiat, in quo Cerinthus est, veritatis hostis.* Ex ore id Polycarpi narrantis per traditionem transit ad Irenæum, ex hoc istud accepit Eusebius, aliquie. Addit Hieronymus, balneum ad hæc Johannis verba illico quoque corruiisse. Sed memoriam in eo fecellisse Hieronymum, quod Ebioni tribuat, quæ Irenæus de Cerintho retulerit, observat B. Sagittarius, *Introd. in H. E. p. 909. 1g.*, nisi forte locum hic habet conjectura Baroni, Ebionem cum Cerintho simul lavisse, existimantis, ad Ann. LXXIV. Ebionem cum maxima eruditiorum parte Cerintho junxi, quanquam, ad Originem provocantes, Socinius, Ostorodus, Curcellæus, Jnrieus, & Richardus Simonius, apud Itig. l.c. p. 60., existisse unquam haëreticum hujus nominis praefracte negant. Lamb. etiam Danæus in Comm. ad Auguſt. de Hæref. c. X. p. 87. edit. Helmst., Ebionitas non ab auctore, sed a vita professione, quam in paupertate & inopia, Monachorum atque Cynicorum philosophorum more duxerint, nomen fortitos esse, putat, ap. eund. Itig. l.c., ubi tam Danæo, quam Socinianis, jam satisfactum est.

(r) Ita tradunt Irenæus, l.III. c.XI., Epiphan. Hæref. XI., Hieron. in Catalog. Script. Eccl. c.IX., & ex recentioribus Georg. Ballus in *Judicio ecclesiæ catholicae trium priorum seculorum, de necessitate credendi, quod Dominus noster I. C. sit verus Deus, c. II. §. 4.* Irenæi verba hæc sunt: *Hanc fidem annuntians Johannes, Domini discipulus, volens per evangeli annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus error, & multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vniſo ejus, que falso cognominatur scientia.* l.c. f. 233.

(s) Loca potissima sunt: (1) *Colos. II, 18.*, ubi Apostolus Colossenses hortatur, ut sibi eaveant ab isto, qui ἐν ταπεινῳ φρεσονι και θρησκειᾳ των ἀγγελων, δι υπέρχασιν, εμβατεύει. Ibi Cerinthum intelligi afferunt complures, nec omnino ab iis dissentit Itigius l.c. p. 53., his inductis rationibus, quod Cerinthus angelicas jactitaverit revelationes, mundum ab angelis conditum affirmaverit, Judgeorū Deum angelum fuisse docuerit, & hinc adeo probabile esse, quod, angelos quoque adorando, statuerit. (2) *1.Petr. IV, 1.*, ubi Christum pro nobis in carne passum esse docet Petrus. Ibi Cerinthi dogma, que Christi patientis corpus avolalæ contendenter, notatum putant. Sed aperte falluntur. *Quis enim, Petrum hoc loco subiectum passionis proprium describere voluisse, non intelligit?*

se juvabit, fuisse inter istius ævi hæreticos, qui non tantum correpti, sed expressis etiam nominibus ab Apostolis sunt confutati, quam adversarios subvertendi rationem elenchū in scholis nominalem dicere solent. Primo se nobis inter eos offerunt Hermogenes & Phygellus, quos a se a veris es- se conqueritur Paulus (*i*). Pauli familiaris (*ii*) etiam aliquando fuit De- mas, sed qui amore seculi captus suum hunc postea deseruit doctorem (*x*). Hymeneus & Philetus in articulo de resurrectione mortuorum gravissime errarunt (*y*), eodemque errore Corinthiorum infecerunt quāplurimos (*z*), merito propterea a Paulo reprehensi. Idem cum Hymeneo fidei boneque conscientiae naufragium fecit Alexander, satanæ a gentium doctore traditus (*aa*). Diotrepheis ambitionem, maledicentiam ac insolentiam damnat Johannes (*bb*) qui Nicolaitarum quoque meminit, & de iis queritur, quod ab idolothytis ac fornicatione magno fidelium scanda- lo haud abstinerint (*cc*). Nec ullum est dubium, quin flagitiis errores ad- diderint, istaque falsis defendere studuerint dogmatibus. Unde con- ceptis etiam verbis doctrinam Nicolaitarum culpat idem Apostolus (*dd*).

Hi sunt veritatis divinæ oppugnatores, cum quibus jam Christo, jam Apostolis, decertandum fuit, quos brevibus hic perséqui volui, tum ut constaret, quam misere se falli patientur, qui a Christo & Apostolis vi- tia tantum flagitiaque impie viventium rejecta, veritati autem doctrinae tantum ab utrisque pretium non fuisse statutum, putant, ut adver- sus

(*i*) 2. Tim. I, 15. (*ii*) Colos. IV, 14. Pbilem. v. 24. (*x*) 2. Tim. IV, 10.

(*y*) Docuerunt enim, resurrectionem jam esse factam, neque aliam expectandam aut metuendam, 2. Tim. II, 17. Ex Gnosticorum numero eos fuisse, more quo con- tendit Hammondus, ad b. l. Hinc dogma illorum ita per paraphras explicat: *H̄t delapsi sunt in periculissimum errorem, & allegoricis Scriptura interpretationibus sibi aliquis nonnullis persuaserunt, nullam fore corporum resurrectionem, nec futuram post hanc vitam expectandam: Sed omnia loca, quibus illa videatur doceri, alter esse intelligenda, Gnostico nempe & Kabbalistico more.* Qua de re quid habendum sit, ex istis, que superius de Gnosticorum secta, binis licet verbis, sunt observata, intelligi facile potest.

(*z*) Hoc abunde satis ex 1. Cor. XV. constat. (*aa*) 1. Tim. I, 20. conf. 2. Tim. IV, 14.

(*bb*) 3. Joh. v. 9. (*cc*) Apoc. II, 6.

(*dd*) Ibid. v. 14. 15. Nec audiendi sunt, qui Joannem sub Nicolaitarum nomine Pontificios depinxisse existimant, quæ est sententia Joh. Cocejij ad b. l. De auctore vero sc̄tæ hujus multa inter eruditos disputari solent. Oppido falluntur, qui *επειδή της οἰκουμένης*, cuius laudem sibi tribuerint, hoc hæreticis illis nomen enatum esse, statuunt. Nam a Nicolo quodam id sc̄tæ impositum, omni caret dubio. At quis fuerit hic Nicolaus? Utrum idem, cuius mentio fit Act. VI, 5., an ab eo diversus? Quain secessione a veritate occasionem arriperit? Quid docuerit, & an præter illos, quos notavit Johannes, alios etiam errores defenderit? ulteriorē mereretur prolixiorēque tractationem, nisi nobis hic otia fecissemus jam laudatus Ittingius, l. c. p. 88., cui jungendus Eber, Rud. Ro-

fus illam exsurgentium mendacia prostraverint : tum ut ex utrorum que exemplo disceremus , quænam vera studii theologiae polemica sit indoles,& si nobis etiam aliquando cum veritatis hostibus conflictandum fuerit, quales nos gerere debeamus,ne adversus doctrinæ pariter ac Christianæ prudentiae regulas impingamus. Perfectam deprehendimus utrobius severitatem, ex divino profectam zelo, verba summum sanctitatis studium spirantia , elenchum jam rationum pondere, jam dictorum gravitate , efficacem, & cum strenua quoque vitorum epanorthosi coniunctum. Occasionem mihi vero, ut perfectissima hæc disputationum theologicarum exempla lustrarem , (ee) dedit laudabile quorundam Athenæi nostri auditorum institutum, qui,dum se ad altiora parant, istam quoq; theologiae partem, quæ polemica dicitur, delibare, ejusdemq; quendam

Rothius, cuius doctissima *Dissertatio de Nicolaiis*, sub praesidio Seb. Niemannii ventilata, altera vice prodiit Jenæ c. 1o LXXIX. Gravissimum sane crimen fuit quo se polluit Nicolaitarum secta, dum promiscuum concessit seminarium usum, craffissimæ se fornicationis ream agens. Cui sceleri ipse Nicolaus anfam præbuisse dicitur, cum proposito suo, quo formosæ conjugi se subducturū voverat, imparem se esse animadvertisset, vid. *Epiphan. Her. XXV. p. 76.* Sed gravissima etiam est calumnia, qua Jacob. Guarterus, jesuita, *Tabul. Chronograph. Sec. I.c. X.*, proscidit Lutherum nostrum, ubi eum fidelem Nicolai discipulum, imo magistrum, vocat, quod in *Sermone de matrimonio* hæc adhibuerit, que ferus homo ferre dicit, verba: *Uti non est in meis vivibus sicut, ut vir non sim, tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim.* Strenue autem Lutherum defendit B. Kortkoltus: *Beatus*, ita ait, *Lutherus hoc solum afferit, Deum mari & fæmine a se creatis naturali indidisse in sibi appetitum, quo mutuam sui conjunctionem appetant, indeque porro colligit eos, qui ad matrimonium contrabendum babilis sunt, & dono continentie defluuntur, omnino obligari ad incedum matrimonium:* Secus enim si faciant & naturæ sive voto sive voluntaria ac pertinacis abstinentia alia frenum injiciant, magno animarum periculo sese exposero. Que est ipsissima scriptura sententia, *Gen. I. 27. 28. Matth. XLIX. 11. 12. 1. Cor. VII. 2. 9.* Sed quannam hæc sententia affinitatem habet cum fœda Nicolaitarum doctrina, quæ promiscuos concubitus & omnis generis libidines non permittet solum, sed & laudibus extollebat? *Hist. Eccl. N. T. Sec. I. c. II. §. XI. p. 19.* Ceterum a Paulo etiam, Petro & Juda Nicolaitas, tacite tamen, perstringi arbitrantur ex eruditis nonnulli. Paulum ad eos 1. *Cor. VI. 12. seqq.* respicere, auctor est Lightfootus, *ad b. I.* Petrum hos pungere, existimant alii, *2. Petr. II. 10. seqq.*, ubi Pseudo-apostolos vapulare, potius credidrum. Hammondus, ut ubique, ita hic etiam Gnosticos suos nobis obtrudit, a quibus forte Nicolaitas non sejunxit. Hos enim errores etiam suos, ut ceterorum plerique fecerunt, *γνώστες* nomine venditasse, probabilatione colligit. Gnosticorum sane turbæ, postquam hoc nomen exortum fuit, sese deinceps immiscuerunt Nicolaitæ. Vid. Kortholt. I. c. p. 18. Ad Gnosticos Judam quoque v. 8. seqq. verba sua direxisse contendit idem Hammondus. Sed ut de superioribus, ita etiam de hoc loco, si a conjecturis discesseris, certi omnino nihil affirmari potest.

(ee) Neque exiguo mihi suffit adjumento *Historianam theologia criticam*, a viro venerando, Buddeo, mihi una cum paucissimis academiæ Jenensis civibus prælectam, gravissima mente agnosco.

dam quasi prægustum capere, sibi proposuerunt. Quo in negotio cum me sibi comitem expostulassent, iis deesse nolui, sed auxilium meum promisi promptissime, quippe qui, quam utilis sit, quæ huic studiorum generi impenditur, opera, imprimis nostro hoc, quo vivimus, tempore diffici, non sum ignarus. Ducem vero sequemur B. KÖNIGIUM, eademque, quam ipse tenuit in *Theologia positiva acroamatica*, incedemus via. Sed quoniam recentior ætas in excludendis erroribus sterilior haud fuit ista, quam attigerunt patres nostri, multaque φιλοτεχνία κακομαινόμενη monstruosasque opiniones in orbem introduxit Christianum, quas unquam extituras Königius noster vel conjectando divinare haud potuit, has una cum ceteris sub examen vocare nobis erit integrum. Equidem prostare alia, quæ huic quoque rei inservire possent, virorum eruditissimorum compendia theologica, non prorsus diffiteor: Königium tamen velideo deferere noluimus, quoniam ad ipsius ductum τὴν ἐνδεστήν τὴν θεοτόκην δοcentur, qui in Athenæo nostro operam navant sanctiori theologicæ studio. Ad eundem igitur ut coelestis etiam doctrina βεβαιώσεων discant e re ipsorum vel maxime futurum, existimo. Ita vero rem nostram acturis sumus, ut ex auctore nostro excerptæ theses theologicæ junctis positionibus ipsis, quæ recentioribus a tramite aberrantiū erroribus oppositæ, adhorū examen instituendum viam pudent, singulis mensibus typi exscribantur, ut ceteri etiam, qui ex hoc nostro exercitio commodū capere volunt, sciant, quæ de re acturi sumus. Inquirent in illarū veritatem singulis Saturni diebus, finitis lectionibus ordinariis, hora decima ad undecimam, qui respondentium pariter ac opponentium alternis vicibus, & soli quidem fungentur munere, doctrinæ non minus quam indolis ac pietatis laude dignissimi juvenes JOHANNES ac WULDEBRANDUS VOGTHI, Beverstedenes, Viri maxime Reverendi, JOHANNIS VOGTHI, vigilansissimi ecclesiae Beverstedensis Pastoris vicinarumque Praepositi, filii exceptatiissimi, nec non MEINHARDUS PLESKEN, Bremensis, Viri Amplissimi MEINHARDI PLESKEN, Civis ac Negotiatoris Bremensis spectatiissimi, filius desideratissimus. Ad ceteros autem, qui eadem ratione aliquando controversiis rite tractandis operam suam impendere sibi proposuerunt, non minus, quam ipsis disputantibus, redundabit inde commodum. Quamobrem, ut disputationibus his theologicis in omnium, qui eadem nobiscum sacra colunt, Athenæi nostri civium gratiam instituendis, frequentes interesse, & præsentia sua disputantium studium excitare velint, ea, qua par est, humanitate obnixe rogito.

Scrib. Bremæ, ipsis Nonis Jul. clo. Iccc XIV.

F I N I S.


08 A 6423

Slc

R

VDA

Hi.75.



B.I.G.



F 11

HISTORIAM
THEOLOGIAE POLEMICAE
CHRISTI ET APOSTOLORUM
CRITICAM,

Prolusionis gymnastice loco,
PUTATIONIBUS THEOLOGICIS
a quibusdam Athenæi nostri Auditoribus
publicis,
optimæ spei probæque indolis adolescentibus,
singulis Saturni diebus,

finitis lectionibus ordinariis,
hora a decima ad undecimam,
ad B. KÖNIGII Theologiam positivam
habendis præmittit,

&
Superioribus suis,
ac Athenæi Carolini civibus,
Collegii hujus Disputatorii
rationem explicat,

OH. HENR. FOPPIUS,
Regii Athenæi Scholæque cathedralis SubR.

B R E M ÄE,
pis HERMANNI BRAUERI, Jun. Reipubl.
Typogr. cloc loccXIV.